Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26150
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quis mihi dabit ut venias in cor meum et inebri-
es illud. ut obliviscar mala mea et unum
bonum meum amplectar te. Quis mihi dabit ac-
quiescere in te. Quid mihi es. miserere ut loquar. Quid
tibi sum ipse. ut amari te iubeas a me. Et nisi fa-
ciam irasceris mihi. et mineris ingentes mi-
serias. Parva ne ipsa est miseria. Si non amem
te hei mihi. Dic mihi per miserationes tuas domine
deus meus quid sis mihi. Dic animae meae salus tua
ego sum. Sic dic ut audiam. Ecce aures meae
cordis mei ante te domine aperi eas. et dic animae
meae salus tua ego sum. Curram post vocem hanc
et apprehendam te. Noli abscondere a me fa-
ciem tuam ne moriar. sed fac ut videam eam.
Angusta est domus animae meae. quo venias ad
eam dilatetur abs te. Ruinosa est refice eam. ha-
bet immundicias peccatorum multas quae of-
fendant oculos tuos. fateor ut scio. sed